

SY. noli inquam. *DE.* non manum abstines, mastigia?
 an tibi iam mavis cerebrum dispergam hic? *SY.* abît.—
 edepol commissatorem haud sane commodum,
 praesertim Ctesiphoni! quid ego nunc agam?
 785 nisi, dum haec silescent turbae, interea in angulum
 aliquo abeam atque edormiscam hoc villi: sic agam. 10

MICIO D E M E A

iii

MI. Parata a nobis sunt, ita ūt dixi, Sostrata:
 ubi vis . . quisnam a me pepulit tam graviter fores?

DE. ei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem aut
 querar?

790 "o caelum, o terra, o maria Neptuni!" *MI.* em tibi!
 rescivit omnem rem: id nunc clamat: ilicet;
 paratae lites: succurrendumst. *DE.* eccum adest
 communi' corruptela nostrum liberum. 5

MI. tandem reprime iracundiam atque ad te redi.

795 *DE.* repressi redii, mitto maledicta omnia:
 rēm ipsam putemus. dictum hoc inter nos fuit
 (ex tē adeo ortumst) ne tu curares meum 10
 neve ego tuom? responde. *MI.* factumst, non nego.

DE. quor nunc apud te potat? quor recipis meum?

800 quor emis amicam, Micio? numqui minus
 mihi idem ius aequomst esse? quid mecumst tibi?
 quando ego tuom non curo, ne cura meum. 15

MI. non aequom dici'. *DE.* non? *MI.* nam vetu'
 verbum hoc quidemst,